

D E
V E R M I B U S
I N
C O R P O R E H U M A N O
O B V I I S.

T H E M A I N A U G U R A L E,

Q U O D

C O N S E N S U E T A U C T O R I T A T E

M A G N I F I C I D O M I N I

P R A E S I D I S E T D I R E C T O R I S,

S P E C T A B I L I S D O M I N I

D E C A N I,

T O T I U S I N C L Y T A E F A C U L T A T I S M E D I C A E

P R O

L A U R E A D O C T O R A T U S R I T E

C O N S E Q U E N D A

I N R. S C I E N T I A R U M U N I V E R S I T A T E H U N G A R I C A

P U B L I C A E D I S Q U I S I T I O N I S U B M I T T I T

J O S E P H U S M L I N A R I C H

C R O A T A, B E L L O V A R I E N S I S, E. C O N F I N I O M I L I T. C R I S I E N S I.


Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
maiori. die Augusti 1832.

B U D A E,

T Y P I S T Y P O G R. R E G I A E U N I V E R S I T A T I S H U N G A R I C A E

Ardua res est, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et natura sua omnia. Itaque etiam non assecutis, voluisse abunde pulchrum, et magnificentum est.

Plinius.



**BENEFACTORIBUS
MUNIFICENTISSIMIS,
MODESTISSIMIS,**



gratissimus Auctor.

*E*ntozoa RUDOLPHI et OLFERI (quia vitae cursum in corpore animato absolvunt) *Splanehelmintha* Zederi (*σπλαγχνον*, viscus; *ελμίνς*, lumbricus) *Enthelmintha* vel *Helmintha* (*Ελμίνδον* i. e. Entozoum) Dümeril et recentiorum. — Denique *Vermes intestinales*, sunt animalcula, vel vermes in corpore animali vivo orta, vi-entia, et semet propagantia.

THEORIAE ORTUS:

I. Asserebant antiqui: *helmintha per fermentationem et putredinem humorum inquinorum, alimenterum, accedente praecipue calore oriri.*

Sed refragatur huic geneticae: quod arte producta putrescentia helmintha extra corpus humanum non gignantur; — porro, quod in hac theoria renisus vitae in putredinem nulla habita sit ratio.

II. *Ova vermium in terra, aquis; degentium per cibum, et potum in corpus hominis pertingunt, et, metamorphosim experta, in vermes intestinales transformantur.*

Jam vero extra corpus hominis non occurrunt helmintha, et quae visa asseruntur a Cel. LINNÉ, P. A. GADD, UNZER, TISSOT, BEIREIS, LEVENHÖECK, SCHAEFFER etc. per observatores alios non observata. Errores hac in parte admissi non excultae helminthologiae adscribendi. — Ita Cel. GMELIN, juxta testimonium Cel. PALLAS, ova ranarum sibi seriatim adhaerentia pro spuria specie taeniae habuit. — Sed insuper aer, aqua etc.

juxta experimenta instituta, non sunt media, in quibus vita constet helminthorum.

Salvare conantur hanc theoriam asserendo: *Causa, quod extra corpus humanum non inveniantur helmintha, in eo sita, quod per vitam corporis animalis forma mutetur*; ita Cel. BRERA, GAUTIERI.

Sed 1. Metamorphoses hae hucdum incognitae, et a recentioribus zoologis non observatae. — 2. Qui per cibos in corpus hominis deveniunt vermes, ii per digestionem validam, vel et per temperaturam insuetam altioreem intestinorum necantur. — 3. Similiter fit cum ovis vermium in intestina delapsis. — Sed quaeritur: quomodo haec ova in foetum utero contentum delabi poterant? cum et in hoc quandoque inveniantur vix ex utero excluso, in abortu, in cerebro foetus. — Quomodo multiplicantur vermes hydatidibus inclusi, ubi nulla genitalia conspicua? — 4. Structura helminthorum a vermium in aqua, et terra viventium multum diversa. — 5. Demum dantur helmintha vivipara e. g. CUCULLANUS, et ECHINORINCHUS; unde ergo horum ova repetuntur? et quomodo viva in partes corporis varias deveniunt?

III. Alii asserunt: *infantem eodem, quo generatur tempore, vel dum in utero fovetur, cum vita et vermium germina ex parentum sanguine haurire.*

Ast. 1. Europeus liber manet a *Filaria dracunculo*, nisi in regiones torridas Indiae pervenit; — sus Scrofa ab apro sylvestri domesticus factus, et tamen in apro sylv. nunquam *Cisticercus cellulosae* R. inventa, ergo quomodo haereditatio explicabitur?

2. *Polycephalus cerebralis* in cerebro Ovium residens, nisi arte per trepanationem removeatur, mortem semper inducit. Oritur hic frequentissime in ovibus anni unius, antequam coitus foecundi capaces

essent, proin hic cum prima ovi perire, et subseque haereditate propagari nequit.

3. Per matrem si propagarentur vermes, tunc foetus a matre semina omnium vermium acquirere deberet, secus deficiente vel unius generis semine, tum foetus, tum tota posteritas ejus liberarentur ab hoc vermium genere; — Concipi vero non potest, per duas, tres generationes involuta latere haec semina; et tamen observamus plures generationes nullo adfici morbo verminoso.

4. Praeformata vermium semina in uterum, et in foetum devenire absque fictione concipi nequit. Vasa enim uteri venosa, arteriae, sunt subtilissimi luminis ita, ut nec globulus sanguinis jam transeat, ova helminthorum autem globulum sanguinis magnitudine multum superant. Cel. RUDOLPHI minima helminthorum ova decem mille vicibus globulum sanguinis magnitudine excedere asserit. — Sed dato non concessio, quomodo certae speciei ova in certas partes e: g. cerebrum pertingunt foetus? quare non interdum in alias partes deveniunt, ut ibi ea species vermum efformetur? —

5. Nec per lac matris, ut Cel. THOMAS asserit, communicantur vermes; — nam plures infantes, absque lacte materno educatae, vermibus laborant, — et admissio hoc asserto, lac matris esset congeries omnium ordinum, generum, et specierum vermium intestinalium! — assertum sane ridiculum.

IV. *Generatione aequivoca*-Cel. NEDHAM, BUFFON, PATRINIUS *vermes intestinales oriri asserunt*; — haec theoria notioni de vita, et morte maxime congrua; vita, qua vita, non habet terminum certum, et finis organismi unius refertur ad individualitatem productione et destructione manifestandam, non vero ad vitam ipsam, quae non cessat.

Momenta pro hac pugnancia: 1. Dissimilatio sicut assimilatio in omni parte corporis humani locum habet, proin et vermes ubique oriri possunt.

2. Dissimilatio haec in partibus diversis corporis aliter est modificata, partes enim varia ratione nutriuntur, diversa igitur erit assimilatio, proin et dissimilatio; hinc vermes certi in certis partibus corporis, et determinatae speciei, in diversis licet animalibus, in iisdem visceribus reperiuntur.

3. Vermes intestinales oriuntur sub certis adiunctis faventibus uti: aetate tenera, sexu foemineo magis, victu, constitutione debili corporis etc.; proin adjunctis vitae renisum debilitantibus, infringentibus, dissimulationem causantibus.

4. Primus vermis intestinalis nec aliter oriri potuit, nisi ex materiis organicis sub concursu certorum momentorum, seu quod idem: generatione aequivoca; nam aliunde illae materiae organicae haberi nequiverant.

5. Absque generatione aequivoca nec ortus helminthorum partibus genitalibus, et ovariis destitutorum explicari valet.

6. Ab Analogia. In corpore animali variae pseudo-organisationes oriuntur, ita: polypi, tumores cystici, pterygium, pannus etc. lympham producit in parte efformata organisationes, et partes hae similiter aliis vivunt. — sic producuntur pediculi in morbis variis uti: plica polonica etc. sub summa corporis munditie — Sic vermes in ulceribus.

7. Huc refertur observatio Cel. NEDHAM et post eum plurium, transformari quippe corpora animalia in vegetabilia, et vicissim. Dein observatio Cel. ADANSON, confirmata per Cel. SPALLANZANI, in piscinis exsiccatis, aqua denuo repletis, pisces rursus generari.

8. Denique oriuntur infusoria similiter, si partibus animalibus vel vegetabilibus aqua destillata adfundatur, sub influxu radiorum solarium, ut et experimenta Cel. Priestlei innuunt.

V. Cel. OKEN proponit generationem aequivocam modificatam, asserit nempe: *generatio aequivoca non est productio animalis ex concursu non organicorum, non nova formatio antea non existentis animalis, sed divisio compositae organisationis in partes constituentes, — non oriuntur foecundatione, nec casu fortuito, — in genere nulla nova formatio, sed discessus infusoriorum in massa una unitorum.* — Proin juxta ejus mentem generatio helminthorum ex infusoriis.

Sed ad hanc theoriam comprobendam prius demonstrari debet, materiam organicam ex meris constare infusoriis. — Quodsi opinio haec Cel. OKEN comprobata fuerit, facile explicabis ortum helminthorum in diversis corporis animalis partibus, atque evolutionem.

VI. Recentissima est theoria Cel. Professoris SHERER *) helmintha oriri e textu celluloso. — Haec opinio fuit HIPPOCRATIS et AETII praecipue de generatione lumbricorum, quorum prior asserit: “ **) *Est autem lumbricus latus, si ita dicere liceat, permutatio membranae intrinsecus tenuia intestina ambientis, in corpus quoddam vivum, quod continuos stomachi morsus affert, et ad cibos inconsideratum appetitum. In tantum patent in longum, quanta sunt intestina, et a*

*) J. A. Scherer Ueber den Ursprung der Eingeweiden. aus d. Zellengewebe. Vest. Med. Jahrb. III B. II St. S. 98.

**) Hippocratis M. Coacae prael. editae p. L. Duretum Parisiis 1583. pag. 218.; et J. M. a Tengström Coment. in Actii Amideni Medici etc. Specimen 1. Aboae 1718.

similitudine fasciarum taeniae vocantur — proin est generatio aequivoca, qua mediante ex materiis organicis, corpus organicum sub certis adjunctis efformatur. — Juxta mentem Cel. Scherer loco cit. *Textus cellulosus est formationi entis, quod vitam se ipso altiore non agit, prouti est helminthon, perfecte aptus. Vivit vitam polypo similem; in omni puncto suae extentionis potest processus vitalis ejus, per processum organico-chemicum intendi, proin et vitalitas textus cellulosi exaltari.* — Quomodo haec vitalitas exaltetur, an aucta temperatura, oxygenio, galvanismo? etc. hucdum definiri nequit, licet processus analogi in natura haud rari occurrant. — Vitalitate in puncto uno exaltata, tollitur aequilibrium dynamicum processus vitalis; pars magis vitalis reddita vel a toto solvitur, vel adhuc in nexu cum eodem permanet; prout sub conceptione, sub divisione polyporum, sub divisione infusorii in corpora duo seorsim viventia contingit. — Ita separatum corpus propriam vitam vivit, assimilatur modo proprio, nutritur ex humoribus circumstantibus. — Respondet huic opinioni fabrica cellulosa helminthorum, uti Cel. ZEDER et Cel. RUDOLPHI loco citato innuunt. — Insuper hydatides, sine suo textui celluloso concretae, nec textura, nec structura, sed sola vitalitate differunt. Unde Cel. SCHERER loco cit. ait: „cum igitur hydatides ex eadem materia efformantur, et cum vitalitas in his solum gradu differat, concludimus hinc ad commune momentum causale, quod formationi utriusque subest.“ — Porro textus cellulosus, nidus helminthorum, omnia organa obvestit, et in ea se insinuat, in hoc autem solo, textu celluloso quippe, vermes reperiuntur, ita Cel. RUDOLPHI Op. cit. Tomo I. pag. 360 „In contextu celluloso animalium fere omnium entozoa facillime proveniunt, ut filiaris tam in hominis, quam in mamma-

lium, et avium cellulosa subcutanea, easdem vero et *Ascarides*, et *Distoma*, et *Cysticercos*, in musculorum aliarumque partium interstitiis cellulosis omnibus fere animalibus reperias.“ — Pro hac sententia maxime pugnat opinio Cel. RUDOLPHI, observationibus confirmata, ortus taeniarum, qui loco cit. Tom. I. pag. 411. ait: „sed taeniae quoque proventum oculis meis me usurpasse crediderim. Sub canis fricatoris dissectione, et tractus ejus intestinalis, ob villos examini subjiciendos, attenta lustratione, in superiori intestinorum tenuium parte, nodulos, seu puncta reperri plurima, alba et minutissima, villosae fortiter adhaerentia, quorum antequam natura innotesceret, indagatione microscopica aliquot horas occupatus fui. Taeniae cateniformis tandem capita esse vidi villis annexa, seu potius cum iisdem coalita, et fere confusa, ut oscula licet earundem suctoria observaverim, locum tamen, ubi villo inhaerere inciperent, non distinguere potuerim. Capita autem sola erant, nec quamvis copiosa, Taenias integras aut harum partes secum ducebant, ut in toto tractu intestinali praeter eadem nil nisi duos Taeniae cateniformis articulos invenerim. Hoc me saltem judice Taeniarum natales designare videtur, ut earundem nimirum capita sub dissimulatione orta, a villis nondum separata, vel iisdem innata fuerint, postmodum remittenda. Nec ex ovulis Taeniarum relictis, ortum duxisse dicas, et tum enim articuli non defuissent, sed taeniolae semper, sub embrionis statu, articulatae sunt.“ —

Quod vero plurima helmintha tractum intestinalem incolant explicat Cel. SCHERER sic: „In tractu intestinali contingit continua mucii secretio, et superficies libera membranae mucosae in contactum ponitur cum corporibus peregrinis, non assimilatis cibis, gasibus; quare facillime, his positis, vitalitas textus cel-

lulosi, membranae mucosae, in punctis pluribus exallatur.“

Juxta mentem Cel. Ph. C. HARTMANN causa ultima generationis vermium est: *vitae plasticae depravatio, qua fit, ut materiis organicis ad dignitatem animalem extollendis, et perficiendis impar, easdem in gradibus inferioribus, ubi ad plantarum, aut animalium infimorum naturam propius accedunt, relinquat.*— Hac sententia vermes intestinales oriuntur ex materiis nutritiis ob debilitatam vitalitatem ad dignitatem altiore non evecis.

Cel. RUDOLPHI. Entozoa seu vermes intestinales dividit in ordines quinque, ordines in genera, genera in species subdividuntur. Singulorum characteres paucis adumbrabimus, solo respectu habito ad vermes in corpore humano nidulantes.

Ordo I. ENTOMOZOA NEMATOIDEA seu vermes filo similes: „corpore elongato, cylindrico, tenuissime annulato, elastico,“ distincti.

Genus 1. *Filaria*, „cujus „corpus teres, elasticum, subaequale, longissimum, oris apertura orbicularis minima, genitale masculinum spirale, ex apice caudae prominens:“

Species: *Filaria Medinensis*, *Filaria Dracunculus*, „*Filaria longissima*, margine oris tumido, caudae acumine inflexo,“ — degit in tela cellulosa subcutanea hominis.

Genus 2. *Hamularia*: „corpus teres, elasticum, subaequale; oris tentacula duo filiformia.“

Species: *Hamularia subcompressa* „corpore antice attenuato,“ semel tantum in glandulis bronchiorum humanorum inventa.

Genus 3. *Trichocephalus*: „corpus teres, elasticum, parte antica capillari; os orbiculare.“

Species: *Trichocephalus dispar*: „parte capillari

longissima, capite acuto, indistincto, corpore maris spiraliter involuto, foeminae subrecto. "habitat in intestinis hominis praecipue coeco, et colon.

Genus 4. *Oxyuris*: „corpus teres, elasticum, cauda subulata, apertura oris orbiculari.

Species: *Oxyuris vermicularis*: „capitis obtusi membrana laterali utrinque vesiculari, cauda maris spirali subobtusa, foeminae recta, subulata. "degit in intestinis crassis, praeprimis recto. — Olim ad *Ascari* des relatus, nunc a Cel. BREMSERO proprium ei genus adsignatum.

Genus 5. *Ascaris*: „corpus teres, elasticum, utrinque adtenuatum, caput trivalve."

Species: *Ascaris lumbricoides*, „corpore utrinque aequaliter adtenuato, utrinque sulcato, cauda obtusiuscula" habitat in intestinis humanis, praecipue tenuibus.

Genus 6. *Strongylus*: „corpus teres, elasticum, oris apertura magna, multiformis, genitale masculinum ad apicem caudae vesica, aut membrana cinctum."

Species: *Strongylus gigas*, „capite obtuso, ore papillis planusculis sex cincto, bursa maris truncata integra, cauda foeminae truncata," — in renibus hominis inventus.

Ordo II. ENTOZOA ACANTHOCEPHALA, seu vermes capite uncinato instructi: „corpore teretiusculo, utriculari, subelastico, proboscide seriatim uncinato, retractili." — Ordo hic nullos corpori humano hospites suppeditat.

Ordo III. ENTOZOA TREMATODA, seu vermes sugentes: — „corpore depresso, vel teretiusculo, molli, poris suctoriis." —

Ex hoc ordine duo genera corpus humanum incolunt:

Genus 1. *Distoma* „corpus molle, depressum, aut teretiusculum, porus anticus et centralis solitarii."

Species: *Distoma hepaticum*, *Distoma obovatum*, *planum*, collo subconico, brevissimo, poris orbicularibus, ventrali majore. "In cystide fellea, et ductibus biliferis hominis raro quidem inventum.

Genus 2. *Polystoma*, corpus molle, depressum, aut teretiunculum, pori antici complures.

Species: *Polystoma pingvicola*, *Trentlerus* describit, *Polystoma depressum*, oblongum, leve, antice truncatum, postice acuminatum, poris sex anticis, lunatim positis. — a descriptore semel in ovario hominis, pingvedini inclusum, inventum.

Ordo IV. CESTOIDEA, seu vermes in taeniam extensi: corpus elongato, depresso molli. — Ex hoc ordine Cel. BREMSER duo genera corpori humano tribuit:

Genus 1. *Botrioccephalus*, corpus molle, elongatum, depressum, capitis armati, aut inermis foveis aut lobis oblongis. —

Species: *Botrioccephalus* *latus* *Bremseri*, capite foveisque marginalibus oblongis, collo subnullo, articulis anterioribus rugaeformibus, insequentibus plurimis brevibus, subquadratis, latioribus, ultimis longiusculis. "Hic, sub nomine teniae latae hucdum notus, in Germania rarus, Helvetiae, Russiae, Poloniae et nonnullarum Galliae provinciarum incolis familiaris.

Genus 2. *Taenia*, corpore elongato, depresso, articulado, osculis capitis suctoriis quatuor.

Species: *Taenia Solium*, capite subhaemisphaerico, discreto; rostello obtuso; collo antrorsum increcente, articulis anticis brevissimis, insequentibus subquadratis, reliquis oblongis, omnibus obtusiusculis; foraminibus marginalibus vage alternis. — in Germania crebro occurrit, nec ubique solitarius; ita in Clinico Vienensi 1830 taenia solium, una cum *Botrioccephalo* lato e foemina expulsa.

Ordo V. CYSTICA, seu vermes vesiculosi „membranacei, plerumque rugosi, cavi, capitis corona uncinata, corpore in vesicam excurrente, vel vesicae adhaerenté.“ —

Ex hoc ordine duo genera in corpore humano nidulantur:

Genus 1. *Cysticercus* „corpore depresso, aut teretiusculo, rugoso, in vesicam caudalem excurrente; capite retractili, osculis sumentibus quatuor, et in medio corona uncinata duplici instructus.“

Species: *Cysticercus cellulosae*: „caput tetragonum, rostellum teres, uncinatum, collum brevissimum antrorsum increscens, corpus cylindraceum longius, articulos mentiens, vesica caudalis elyptica, transversa.“ — In contextu celluloso musculorum, et cerebri humani rarius reperitur.

Genus 2. *Echinococcus* „corpus minimum, subglobosum, caput uncinulis coronatum.“ — Vermiculi adeo exigui, ut non nisi armato oculo distingvantur: includuntur hydatidibus, in fluido in illis contento nant, vel earum internae superficiei adhaerent.

Helminthiasis, Vermitio sensu strictissimo est ille abnormis assimilationis status totius organismi sub quo adjunctis fauventibus, vermes generantur, qui generati symptomata edunt morbi determinati. — Sensu latiore est status morbosus organismi, qui producitur, si vermes intestinales praesentes, suam praesentiam per symptomata morbosa indicent.

Symptomata varia vermes praesentes edere solent. Subinde symptomata adfectionum morbosarum aliarum vermibus adscribuntur, aeger anthelminticis torquetur remediis, licet nulli secedant vermes; — hinc ad evitandum in diagnosi errorem advertendum erit ante omnia ad evolutionem symptomatum successivam, et combinanda haec cum pathogeneticis momentis.

Pro varia sede vermium et symptomata discrepant. Vermes textum cellulose inhabitantes, vel viscera abdominis, seu sic dicti vermes viscerales, splanchnici, licet in cadavere reperiantur, symptomata in vivo difficulter cognoscenda, vel prorsus nulla inducunt. — Functio organi inhabitati quandoque laeditur, sed haec laesio aliis etiam causis induci potest. — *Filaria Medinensis* seu *Tropica* facilius cognoscitur, degit in textu celluloso subcutaneo crurum, ubi oboritur dolor magnus, inflammatio extensa usque ad ossa, quae cariiosa fiunt; saepe per aperturam cutis pars vermum pro- pendet. — *Filaria bronchialis*, *Echinococcus*, *Distoma hepaticum*, *Cysticercus cellulose* symptomata inducunt, aliis ex causis similiter explicanda. Ideo Diagnosi de vermibus splanchnicis ne probabilis quidem est.

Longe facilius statuitur diagnosi VERMIUM INTESTINALIUM magis frequentium, licet et haec ipsa variet.

pro diversa constitutione aegri individuali, et pro diversa specie vermis intestinalis. — Sed et hic innuendum, plures homines vermes longo tempore, ad tumbam usque, in intestinis suis circumferre, quin ulla morbosa adfectione, vel habitu cachectico notentur.

Symptomata omnibus communia idiopathica sunt, vel sympathica; — ad priora referuntur: sensus serpentis mordentis vermis; — adpetentia farinaceorum, sitis tempore matutino; fames praecipue tempore nocturno urget, — saepe anorexia, — halitus oris fatuus, subdulcis, — lingua muco denso obducta, ptyalismus, nausea, nisus ad vomendum ventriculo vacuo, et, post usum ciborum dulcium, vomitus liquidi aquosi: — status aegri exasperatur post usum synapis, allii, cepae, aceti etc. — dolores colici praecipue circa umbilicum cito ingruentes, et cito evanescentes, qui post usum lactis mittigantur; — abdomen expansum, anxietas, respiratio difficilis; — diarrhoea cum tenesmo, et alvo obstipa alternans.

Symptomata sympathica: pruritus narium, illusiones sensuum, olfactus, visus, auditus; — strabismus, pupilla dilatata, chrupsia, scotomia, diplopia, amaurosis temporanea quandoque aegrum molestant; — annuli lividi circa oculos, spasmi musculorum bulbi, stridor dentium, somnus insomnis turbatur; color cutis pallidus, inconstans, cardiopalmus, pulsus frequens, durus, subinde intermittens, respiratio difficilis cum tussi sicca, urinae pallidae, sudor acidus; — vertigo, susurrus aurium. Aeger delassatus, somnolentus, morosus; subinde oedema faciei, palpebrarum, extremitatum, et ipsa febris verminosa adsunt; tandem post longam durationem, et curam neglectam emaciatio, — febris hectica, et mors.

Ad symptomata rariora pertinent: spasmi, convulsiones, chorea sancti Viti, epilepsia, tetanus, de-

liria, paralysis, aphonia, alienationes mentis, apoplexia, et varia exanthemata. — Rarissima; et semper periculosa dissenteria, pneumorrhagia. — Non raro epistaxi, et alvo sanguis evacuat, uti Cel. Pet. FRANK de puero refert, qui post praegressos dolores circa umbilicum repentine irruentes, per anum sanguinem evacuavit, et ordinatis anthelminticis, ab eodem puero septuaginta *Ascarides lumbricoides* secesserunt.

Symptomatum haec farago non semper adest, subinde solum pauca ex adlatis, subinde omnia haec symptomata aliis debentur morbis uti: scrophulis, rachitidi, hydrocephalo, hysteriae, hypochondriae, et coeteris adfectionibus systematis glandulosi, vel lymphatici; — hinc ex summa solum symptomatum omnium, per combinationem, ad vermium praesentiam concludere licet.

Suspicio iusta praesentiae vermium adest: si color faciei pallidus variet cito, oculi tristes, annulus lividus sub palpebra inferiori, pruritus narium, ani, — abdomen tumens, inaequale, — extremitates emaciatas, ructus frequentes, nisus ad vomitum, vomitus ipse, dolores colici absque causa cognita orti, et evanescentes; urinae pallidae, lacteae, saepe cum stranguria, in junioribus praesertim febris continuo-remittens raro vehemens, — vertigo, ptyalismus adsint; — si dolores increcant post usum ciborum vermibus ingratorum, vel jejuno ventriculo, et si remittant post usum lactis; tandem si symptomata cum novilunio augeantur, et cum eo typum servant exacerbationum. — Symptoma unicum, et infallibile est secessus vermum, vel partium ejus.

Praeter adlata symptomata communia omnibus, quaedam species vermium intestinalium propria eund, sic:

A) *Oxyuris Vermicularis* Brems. s. *Ascaris vermicularis* Rudolphi in intestino praecipue recto degens,

pruritus hic edit peculiarem (proctalgia verm.) qui manifestatur dolore urente, mordente transitorio, tempore praecipue vespertino, et post alvi, flatuum secessum remittente, — nisus ad alvum, urinam subitaneus; saepe sensus quasi a gutta aquae in dorsum labentis, quem sensum, sicut et alvum, horripilationes excipiunt, — frictione ani tubercula oriuntur ab haemorrhoidalibus diversa; — si vero haemorrhoides simul adsint, provocant earum fluxum, porro blenorragiam intestini recti, vaginae, urethrae, rarius nymphomaniam, — subinde adest tenesmus et nisus continuus ad alvum, qua vermes copiosi evacuantur, qui subsiliendo praesentiam suam produnt. —

B) *Ascarides lumbricoides* colicam verminosam praecipue inducere dicuntur, dolores causant frequentes abdominis cito irruentes praecipue circa umbilicum, aegri attenti eos serpere et movere percipiunt. — Evacuantur copiosi per anum, et os.

C) *Bothriocephalus latus* BREMS. *Taenia lata* RUDOLPHI, — et *taenia solium*. Sub motu undulatorio in abdomine, praecipue in parte sinistra, aeger conqueritur de dolore sugente, pungente in regione ventriculi, subinde, praecipue sub contractione vermis, sensum percipiunt rotatorium, — sensus ponderis in eadem regione fixus, subinde sensus quasi transeuntis aeris frigidi per intestina, — aeger percipit nisum corporis cujusdam peregrini repentine sursum ascendentis, vel delabentis. — Abdomen tumet, facies plumbei coloris; — aeger percipit nasum quasi elongari. — Adpetitu subinde insigni, corpus emaciatum — Animus variat, subinde hilaris, subinde tristis. — Quandoque deliria, Stupor omnium organorum, mania, pupilla dilatata, non raro Amblyopia, — non raro tremores artuum, convulsiones, vertigo praecipue in hystericis adsunt, cum stupore extremitatum, — Nisus ad vomendum sub ideis in-

gratis. — In genere ex his vermibus plurimae adfectiones nervosae ortum ducunt, vel eas committantur.

Ad morbi verminosi evolutionem requiritur a) Dispositio peculiaris. Vermes non haereditantur, ut supra innuimus, sed dispositio; et haec subinde congenita est, subinde haereditate acquisita, subinde serius per influxum potentiarum nocentium evoluta. Diathesi verminosae magis obnoxia est aetas tenerior, sexus foemineus; auget dispositionem clyma. Sic in Russia, Polonia, bothriocephalus latus frequentissimus, taenia solium rarissimus; — in Gallia et Helvetia pari frequentia et bothriocephalus latus, et taenia solium occurrunt. — In Anglia, Hollandia, Germania, apud nos, et in Oriente bothriocephalus latus est rarissimus, taenia solium frequentissimus. — Filaria Medinensis solum sub tropicis habitat. — Subinde atmosphaerae peculiaris constitutio generandis vermibus intestinalibus favet, ideo auctores multi constitutiones epidemicas verminosas describunt.

b) Causae excitantes; — huc spectant omnia, quae processum vegetationis praecipue in intestinis pervertunt, debilitant, infringunt; hinc vita otiosa, sedentaria, aer humidus, corruptus, palludosus, stagnans, cibi copiosi farinacei, pisces, oleracea; — nec immunes sunt, qui meris carnibus vescuntur, nam et animalia carnivora vermibus molestantur; in genere omnes cibi, qui mucii productioni favent, et statum pituitosum inducere valent; — subinde occurrit morbus verminosus epydemicus, qualem describit Cel. STOLL, CONSBRUCH, MORGAGNI, RAULIN, BERGE, SAGAR etc. Ascarides quandoque migrant e proli una in aliam. — Taenia lata in Helvetia fere endemica.

Differt prognosis pro varia sede, specie vermis, item pro varia duratione, et complicatione morbi. — Vermes splanchnici, qui in diversis partibus corporis

humani resident, rarissime cognoscuntur, ideo vix curabiles sunt. — Subinde vermes intestinales innocui, hominem a cunis ad tumulum usque committantur, quin ulla producant symptomata morbosa, sponte per alvum quandoque secedunt. — Subinde valde molesti sunt, dolores, spasmos causant, adfectiones nervosas quandoque inducunt, succum nutritium consummunt, hinc corporis nutritio imperfecta, emaciatio, tabes, febris hectica inducitur. — Credebatur olim vermes intestina perforare, quod repugnat investigationibus a Cel. RUDOLPHI institutis, asserentisque, organa ad id requisita eis deesse. — Copiosi accumulati alvum pertinaciter obstruunt, ileum morbum excitant periculosum; — subinde per vermes excitatur enteritis periculosissima, læthalis prout Cel. Prof. BENE in Schola Clinica Pest. in casibus duobus adnotavit. — Unde auctoritatis naturae morbus commissus saepe omnino periculosissimus evadit; morbos alios simul praesentes, uti febres inflammatorias topicas, multum exasperant vermes intestinales, similiter et exanthemata. — Prognosis laeta non dependet a solo secessu vermium vivorum, mortuorum vel putridorum, vel a secessu capitis, taenia praesente; atque cum his nexa allevatione aegri; sed imprimis a statu cachectico, dispositione universali, nec non conditione primarum viarum emendata.

Methodus, qua vermes e corpore humano eliminantur, dicitur *Anthelmintica*; — haec non exserit efficaciam suam contra omnes vermes, — ita vermes splanchnici, sicut non cognoscuntur in vivo homine, ita nec remedia contra eosdem nota. Contra Echinococcum cerebri in morbo gyatorio ovium operatio cum successu quandoque instituta est, in homine nunquam; ideoque cura Anthelmintica solum suscipitur contra vermes intestinales.

Duplici indicatione medicus ductus curam vermium orditur; prima praecipit removere symptomata periculosa a vermibus oborta, et ipsos vermes vivos vel mortuos; — altera sanitatem restituere, et recidivam praecavere conatur. — Indicatio prima vel symptomata periculosa abigit, vel vermes ipsos; utraque cura palliativa solum dicitur; — altera est radicalis. — Omnibus autem methodis Anthelminticis praemittitur Diœta tenuis, non farinacea; optime conducunt cibi saliti, oleracea, et vina acida. — Sumuntur vero Anthelmintica stomacho jejuno, vel praemisso purgante.

A) Cura palliativa.

Ad huic satisfaciendum curae, ad sedandas turbas a vermibus obortas et symptomata periculosa interne conveniunt sedantia, lenientia remedia; — Iac recenter emulsum, et hoc quidem melius, quam calefactum, vel pro potu, vel qua enema exhibitum, — scopo posteriori adhibetur ad vermes ex intestino duodeno sensiliori ad intestina crassa pelliciendos, — porro oleum Olivarum, Amygd., Ricini in enemate, — Ad spasmos componendos exhibetur inf. flor. Chamomillae, Valerianae, etc. — simul in enemate emulsio spuria Assae foet. — item interne Extr. hyosc. opium, Assa foet. — Cel. DURIETZ contra spasmos sequens praescribit medicamen:

Rp. Gum. Assae foet. drach. duas

Opium

Sal. Volat. Cor. C. ana dr, semis

Essent. Castorei. unc. tres.

Digere, et cola.

Atque hujus mixturae gutt. 30 — 40 in vino exhibere jubet. — Cel. ROSENSTEIN subinde laudat emetica. — Si taenia praesens similes causet molestias laudatur extr. Absinth. in vino solutum. — Externe abdomini illiniuntur olea volatilia cum, vel sine opio.

fomenta ex aqua frigida sola, vel cum sedantibus: cicuta, hyosc. unita; — denique balneum universale.

Remedia parti secundae curae palliativae satisfaciunt, vermes necantia, expellentia, proprie dicuntur anthelmintica, et haec pro ratione actionis juxta Cel. BREMSER dividuntur in mechanica, specifica, purgantia, et roborantia.

a) MECHANICE AGUNT:

Hydrargyrum regul. forma enematis; ex hydrargyri puri unc. una, in libra una aquae cocta, addito melle q. s. —

Zincum a Paracelso primo propositum, laudat Cel. THILENIUS, v. SWIETEN et alii.

Stannum vel rasum vel granulatum forma boli, vel electuarii sumitur, dosis unc. semis; simul exhibetur purgans. —

Ferrum limatum adhibuit Cel. RICHTER, grana decem usque scr. unum cum saccharo. —

Stizolobium Dolichos pruriens a Dioscoride jam adhibitum, laudatur a Cel. CHAMBERLAINE, SPRENGEL, RUDOLPHI etc. — exhibentur grana quinque infantibus forma electuarii, vel boli. —

Rad. Dauci Corotae vel rasa cruda. vel tosta in pulvere exhibetur. — Cel. HARTMANN opinatur activam esse per evolutum, fermentatione mediante, acidum carbonicum. Cel. PALLAS laudat carbonem ustum. — Cel. BREMSER de his remediis opinatur, artem medicam iis tuto carere posse.

b) SPECIFICE AGUNT:

Aqua frigida. Cel. PALLAS, DARWIN plus aquae salsae tribuunt. — Cel. LÖFFLER laudat pilulas e glacie, omni minuto exhibitas; — Aquae porro minerales praecipue ferratae. —

Succus Urticae dioicae, et *urentis* rec. pressus. —

Allium sativ. et *Allium cepa* in frusta sectum, et comestum, vel cum lacte coctum remedium anti-

quum et populare; item succus allii expressus cum succo citri et saccharo, exhibendo cochl. cib. unum semel de die; Quandoque externe umbilico illinitur, — vel forma enematis exhibetur. — Cel. RICHTER turbas in abdomine oriri, convulsiones, observavit post ejus usum. —

Ferula Assa foetida forma pulveris gr. V — Vj. vel forma pil. infantibus gr. j. exhibetur; jungitur purgans. — Juxta Cel. HARTMANN effectus hic repetitur, quod vermes infestet, actionem vitalem intestinorum exaltet, secretionem mucii imminuat, — adhibetur etiam in enemate. —

Semen Santonici, Sem. Cinae, Sem. Contra, vel *Artemisia Judacia* praecipuam exserere dicitur virtutem contra Ascarides, vermes necando, organa vero digestionis roborando. HARTMANN. — Exhibetur pulveris rec. tusi grossioris scrup. unus ad Dr. unam, — vel in inf. Dr. duae, unc. semis. — vel in electuario, chocolada, trochiscis. Cel. RICHTER sequentem formulam praescribit, nectendo statim purgantibus:

Rp. Pulv. Sem. Santon. Dr. duas
— rad. Jalap. Dr. unam
Merc. dulc. gr. sex, usque decem
Syrup. Cort. Aurant. q. s.
fiat Electuarium.

S. Omni bihorio cochl. cof. unum, duo usque plures alvi evacuationes. — Vel forma pulveris:

Rp. Sem. Santon. gr. quindecim.
Rad. Rhei. Chin. gr. duodecim.
Aloes gr. sex.
Merc. Dulc. gr. tria.
Rad. Ipecac. gr. unum.
M. f. pulvis
Div. in partes aeq. N. tres

Exhibeatur infanti trium annorum jejuno stomacho pulvis unus.

Tanacetum vulgare cum priori ejusdem efficaciae, domesticum, et levioris pretii. —

Aspidium filix mas antiquissimum remedium a Dioscoride propositum. Adhibetur praecipue contra tæniam, dosis drach. duae, tres in pilulis, optime bolis; ingreditur plurima remedia composita. —

Helminthochorton in Gallia praeprimis usitatum, contra ascaridès in pulv. scrup. unus, usque drach. semis, — in decocto unc. semis ad Colat. unc. quatuor exhibetur, — paratur inde et gelatina. —

Cortex Geoffraeae Surinamensis in decocto exhibetur, ad quod recipitur unc. una corticis et aquae unc. duodecim, et coquitur ad remanentiam dimidii; omni-bihorio coch. sib. unum summat aeger, — jungitur purgans e Calomele et Jalappa. —

Radix et herba Spigeliae Anthelmiae et Marylandicae dosi majori vomitum, diarrhoeam, vertiginem, adfectiones nervosas inducit; principio suo narcotico compescit motus excessivos. Exhibetur in pulv. Scrup. semis, usque integrum, — in infuso Aquae vel lactis Drach. una, vel una semis. —

Nux vomica ob effectum nimium, nunc obsoleta.

Semen Sabadillae a plurimis medicis laudatur; dosis in pulv. gr. tria usque Scrup. semis bis ter de die, — melius in decocto aquoso vel lactis. — Optime nectitur mucilaginoso, et die quinto exhibetur purgans —

Extr. putam. viridium Nuc. jugland. digestionem promovet, roborat, et simul regenerationem vermium impedit. HUFELAND. — Exhibentur gr. decem usque Scrup. unum. — Putamina ipsa in Decocto exhibentur, dosis unc. una. —

Rad. Valerianae Sylv. laudatur, praecipue si spasmi simul adsint. Ingreditur plura composita, ita Electarium STÖRCKII, quod Auctor sequenti formula praescribit:

Rp. Sal. polychresti
pulp. rad. Jalap.

— Valer. Sylv. ana drach. unam

Oxymel. Scilit. unc. quatuor.

M. D. S. Capiant adulti ter de die cochl. Cib. unum, infantes omni bihorio cochl. cof. unum. — Adhibetur quoque in enemate. —

Camphora: qua Antisepticum agere antiquis visa, virtus praecipua ejus in clystere. —

Cort. rad. punicae granati in decocto. laudat HARTMANN. De quo infra.

Porro ad hujus ordinis redia numerantur: grana Tiliae, Sem. plantaginis latifoliae — Chenopodium Anthelm. — Cortex Angelicae — Helleborus foet. — Cortex Arecae oleraceae, — Sal ammoniacus, — Tartar. tartarisatus, — Cortex peruv. Cinnamomi etc. — Dictamnus albus. — Olea diversa: Petroleum, — Ol. Cajeput, — Ol. animale Dippelii, — Ol. Chaberti, — Olea pingvia omnia; Ol. Ricini, — Ol. Therebinthinae, cujus Cel. HILDENBRAND gatt. decem in saccharo ter de die summere praecipit. — Flores sulfuris, — Murus Calcis et barytae, — a recentioribus Jodina, — Amygdalarum Amar. Aqua destil. et Aq. Laurocerasi, — denique Acid. hydrocyanicum.

Externe qua specifica laudantur inunctio gummi guttae, cholocinthidis, et plurium purgantium drasticatorum in umbilicum; — fomenta e camphora in Oleo lini soluta, — Ol. therebinthinae cum vitello ovi, vel sapone veneto — Extr. Absinthii in aqua Menthae piperitae solutum. — Ol. Croton Tiglii gutt. tres usque decem in unc. una ol. Olivarum, v. axungiae porci

solutae. — Ol. tanaceti cum felle tauri, Rutta, Assa foet. — Ol. Cajeput, — Ol. petrae cum allio laudat Cel. ROSENSTEIN. — Cel. BRERA proponit linimentum e fellis Tauri drach. una, cum sapone veneto, et Ol. Tanaceti, — hoc praecipue in enemate laudatur in tractandis prolibus. — Cel. RICHTER formulam praescribit sequentem:

Rp. Sem. Santon.

Rad. Valer. Sylv. ana unc. semis

Inf. et digere c. aq. f. ferv. q. s.

fiat Col. unc. octo

Cui adde:

Assae foet. in vitello ovi solutae drach. unam.

M. D. S. zu zwey Nystiren.

Porro laudantur enemata cum lacte, vel e fumo Tabacae. — Denique ictus electricus, galvanismus et magnetismus.

c) AD PURGANTIA referuntur: omnia salina, oleosa, drastica, Calomel, nec non ex specificis agentibus uti: Geoffroya Sarinam, helminthochorton, Spigelia Anthelmia, chenopodium Anthelminticum, Sabadilla etc. medicis nota, ut ea recensere sit superfluum.

d) ROBORANTIA infra sub cura radicali commemorabuntur.

Praeter remedia hucdum recensita specifica simplicia dantur et compositiones ab Auctoribus suis laudatae, et comprobatae per medicos alios, quas hic paucis exponemus, commemorando saltem ex innumeris praecipuas.

Sic Cel. Alex: TRALLIANUS laudat compositionem non satis cognitam ex oleis, Sem. Cumini, Nucib. jugl. et felle tauri. *)

Cel. CERMISSONEN Prof. Med. PATTAVIAE et PAVIAE laudat contra Ascarides compositionem e felle tauri, Absinthio, et Sem. Cinae, praemisso purgante. **)

Methodi praecipuae contra taeniam solium et latam:
Cel. BREMSER curam inchoat electuario sequenti:

Rp. Sem. Cinae rud. cont. unc. semis.

Pulv. rad. Valer. sylv. drach. duas.

— — Jalap. drach. semis, vel scrup. duos.

Tartar. vitriolat. drach. semis, usq. dr. duas.

Oxym. scillit. q. s. ut f. Electarium

D. S. Mane et vesperi cochl. cof. unum sumat.

Hoc consumto exhibet Ol. Chaberti cochl. cof. duo in aqua, mane, et vesperi vel jejuno, vel post jentaculum. Si non fertur, quod raro evenit, dosim immittit, et exhibet emulsionem. — Dein post dies 10—12. usuati olei purgans sequens:

Rp. Rad. Jalap. scrup. unum.

Folior. sennae. drach. semis.

Tart. vitriolat. drach. unam.

M. f. pulv. div. in doses aeq. tres vel quatuor.

D. S. Omni hora pulverem unam summat.

Rursus Ol. Chaberti propinatur, usque dum Unc. 6—7. consummantur. — Sub cura vitentur omnia.

*) Michaelis Med. pract. Bibliotheca pte. 1. pag. 28.

**) Sprengeli historia Medic. Tom. II. pag. 615.

quae ructus causant: — Raro recidiva sequitur. Si nixus in mucositatem adsit, tunc exhibet medicamen sequenti formula:

Rp. Tinctur. Aloes comp. Pharm. Austr. dr. unam.

Tinctur. Martis pomatae unc. unam.

Elix. Vitriol. anglic. Pharm. Lond. unc. semis.

M. D. S. summat guttas 10—30 ter; quater de die in pauxillo aquae vel vini. — Dioeta nulla peculiaris observanda. — Criterium vermem secessisse est, si post menses tres nullae partes vermis secedant.

Cel. HERRENSCHWAND exhibet bis de die, mane stomacho jejuno, et vesperi post levem coenam drach. unam pulv. rad. filicis maris. Die tertio sequentem pulverem stomacho jejuno:

Rp. Gummi Guttae gr. duodecim.

Sal. Absinth. neutr. gr. triginta.

Saponis Starkei gr. duo.

M. intime.

D. ad Chartam.

Sequitur vomitus et diarrhoea; allevatur vomitus potu aquae tep. vel theae, — post horas tres in fiala juris carniū sumitur unc. una Ol. Ricini Americani vel in ejus defectu Communis; quod repetitur singula hora, usque dum vermis secedit. Vesperi, si vermis non secessit, exhibetur Enema ex aqua, lacte, cum Ol. Ricini unc. tribus. — Haec methodus per auctorem ipsum frequenter mutata.

Cel. MATHIEU praemissa dioeta exhibet electuarium.

Rp. Lim. Stann. Anglic. pur. unc. unam;

Rad. filicis mar. drach. sex.

Pulv. sem. cinae unc. semis.

Pulv. rad. Jalap. resinos.

Salis polychrest. ana drach. unam.

M. f. cum mellis com. q. s. Electuarium.

S. Summat omni bihorio cochl. cof. unum per

dies duas, tres, usque sensum vermis se moventis aeger perceperit. Dein:

Rp. Pulv. rad. Jalapp. resinos.

Salis polychrest. ana scrup. duos.

Scammon. Alepp. scrup. unum.

Gummi guttae gr. decem.

M. f. cum melle com. Electuarium.

Summat omni hihorio cochl. cof. unum usque vermis secessum; qui si non insequatur, exhibet aliquot cochl. cib. Ol. Ricini rec., vel enema ex eodem oleo. — Aetas, sexus, constitutio etc. dosim mutant.

Similis huic est methodus Cel. MARK. opinatur virtutem hanc stanno deberi ob admixtum Arsenicum.

Foemina NUFFER sequentem methodum proposuit: Aeger praeparatur dioeta tenui, uno alterove die solum jusculum tenue ex aqua, et pane sale conditum adhibet. Die sequenti stomacho jejuno accipit pulv. rad. filicis maris drach. tres, in aquae Flor. Tiliae unc. sex. — nausea fugatur succo citri modico. Si remedium hoc ingratum vomitu rejiciatur, rursus repetitur. — Post duas horas bolum summit sequentem:

Rp. Panaceae mercurialis

Scammon. ana gr. decem, duodecim.

Gummi Guttae gr. sex, septem.

Tritur. misc. et f. e. q. s. Conf. Hyacinth. Bolus

Haec methodus mense Septembri adhibeatur, repetatur usque vermis secessum. Cel. RUDOLPHI advertit esse remedium ingratisimum et periculosum. Cel. Pet. FRANK dicit aegros, semel hac methodo tractatos, se ei nunquam submittere velle.

Cel. ODIER Prof. Genevensis similem adhibet methodum, sed loco boli exhibet Olei Ricini unc. tres, quod omni dimidia hora cochleari cib. in jure carniū summere praecipit.

Cel. DARWIN exhibet amalgama ex Zinco et hy-

drargyro simile ei, quo specula obducuntur, et quidem omni bihorio unc. unam amalgamatis usque consumptionem librae unius, dein purgans ex unc. duabus Sal. Mirab. Glaub., et unc. una salis com. in libr. duabus aquae solutis, cujus libra semis omni hora consumatur; adjuvat curam ictibus electricis trans abdomen derivatis. — Similem methodum adhibuit Cel. BARBOU circa medium saeculi praeterlapsi.

Cel. DARELLI exhibet Tincturam ROTHENI sequentem:

Rp. Rad. Jalap. unc. quatuor.
 Sem. Cartham. unc. unam
 Scammon. opt. unc. semis.
 Gumm. guttae drach. duas.
 Contund. et superadf.
 Spir. vini. rectific. unc. octo.

Digere. Summat gutt. decem, viginti, bis ter de die in saccharo donec alvus sequatur, et multum bibat aquae frigidae. — Tinctura haec vocatur etiam Tinctura catholica purgans, vel Elix. purgans Michaelis. Cel. WERLHOF hanc methodum multum laudat.

Cel. ETTMÜLLER vespere praecedente exhibet scopo mucum solvendi sequens medicamen:

Rp. Merc. dulcis gr. duodecim
 Lapid. canceror. scrup. unum.
 M. f. pulv. summat vesperi totum.

Ante decubitum vero unc. unam semis Ol. Amgyd, dulcium bibat. Die sequenti mane pulveres:

Rp. Gumm. gutt. gr. triginta sex.
 Pulv. rad. Valer. minor.
 Pulv. sem. santon. ana gr. septem.
 M. Div. in partes aeq. Nro tres.

Summat pulverem unum hora septima cum thea, dein hora nona secundum, quem taeniae secessus excipit. — Aeger jacet sub tota cura in lecto, — dein

ipsi exhibentur roborantia. Pulverem tertium raro adhibuit, post quem adhibitum semel, symptomata periculosa secuta.

Cel. HARGEN praemissa diœta exhibet emeticum ex Ipecacuanha. Die sequenti jejuno stomacho purgans ingratum ex herbae gratiolae scrup. duobus, Merc. dulc. gr. quinque, Assae foet. drach. semis, et aliquot guttis Ol. Menthae pip. dest. — Statim post hoc sumtum aquam frigidam praecipit superbibere, et post horas duas aliquot cochl. cib. Olei Ricini. — Enema ex cremore lactis. — Ad abdomen totum emplastrum calidum adponit, compositum ex Assa foet., Camphora, Ol. therebinth. Petroleo et Empl. de Galbano.

Cel. CORTUM edoctus de praesentia taeniae adultis per dies aliquot exhibet Decoctum Anthelmint. purgans ex Sem. Santon., helmintochorti, rad. Valer. Spiegel., fol. Sennae etc. usque moderatas alvi evacuationes. — Inunctiones in regionem umbilicalem e petroleo, cum Ol. destill. Absinth. et tanacetii fieri jubet. — Aliis loco decocti pulveres ordinavit e rad. filicis maris, Sem. Santon., Valerian., Coralinae, jalapp. Sal. Amoniac. — Quies aegro per aliquot dies conceditur, nisi quod omni bihorio summat cochl. cib. unum Olei Amygd. dulcium. — Die tertio mane exhibuit Gummi Gutt. cum alcali vegetabili, vel in connubio cum Calomela, Jalappa; et quidem formam pulveris, quorum singulus continebat gr. octo, decem, Gummi Guttae, — post sumtum pulverem primum cochl. cib. duo Olei Amygd. dulc. et fialas aliquot juris carniū exhibet. — Communiter post primam, secundam dosim taeniam secessisse, asserit. — Curam absolvit amarum simplicibus, vel tonicis.

Cel. SCHWARZ praemissa diœta tenui, pilulas exhibet:

Rp. Assae foet.

Extract. Valerian.

Pulv. rad. filicis. ana drach. duas.

Olei tanaceti q. s. ut f. pilulae ponderis gr. duorum.

D. S. Capiat pil. duodecim, quater de die.

Dein exhibet remedium drasticum, quod jam taeniam expellit saepissime. Ea non insequente, ordinat: Pulv. rad. filicis unc. duas D. S. Capiat omni bihorio cochl. cof. cumulatum. — Dicit subinde et ad hoc remedium porrectum solum partes, non vero totam secedere taeniam, hinc nullis jam proficientibus optime se adhibuisse medicamen sequens:

Rp. Petrolei unc. semis.

Essent. Assae foet. drach. sex.

M. S. Sumat gutt. 40. quater de die.

Cel. HUFELAND et alii medici optimo cum successu methodum hanc se adhibuisse asserunt. — HUFELAND addit adhuc barytam, vel calcem muriaticam.

Cel. BURDACH praecipit aegro exhibere decoctum saturatum polypodii filicis Maris cum Aetheris Vitrioli drach. una, post horam aeger persentit ut plurimum motum vermis, tunc exhibet Ol. Ricini Amer. unc. duas cum syrupo aliquo grato, — hoc repetitur die secundo, tertio, quo vermis secedere solet. — Si vermibus haereat in intestinis crassis tunc enema ex decocto saturato filicis maris et Aetheris Vitriol. drach. duabus exhibeatur.

Cel. PECHIER 1825 extraxit e polypodio filice mare, filicinam materiam oleosam, quae cum substantia extractiva in pilulam redigitur, singula pillula contineat gutt. unam olei illius, et asserit octo guttis taeniam expelli.

Cel. SCHMITT Berolinensis *) hanc proponit methodum: Die primo jejuno stomacho summat:

*) Hufelands Journal. b. P. 5. 1828 Monath August.

Rp. pulv. rad. Valer. minoris drach. sex
 fol. Senae drach. duas
 f. l. a. infusum
 Col. unc. sex. Adde :
 Natri sulfurici crystallisati drach. tres.
 Syrupi Mann. unc. duas
 Eleosacchari Tanaceti drach. duas.
 S. Omni bihor. duo cochl. cib.

Dioeta tenuis, jusculum, cum halece, et lac. Vesperis lactucam cum halece et perna cruda oleo et saccharo. Sequenti mane:

Rp. Assae foet.

Extr. gramminis ana drach. tres
 pulv. gummi guttae
 pulv. rad. Jalappae ana drach. una.
 pulv. rad. Ipecacuanhae
 pulv. herbae Digit. purp.
 Sulfuris Aurati Antim. ana scrup. semis.
 Calomelis scrup. duos.
 Ol. Tanaceti Aetherei
 Ol. Anisi Aetherei ana gutt. quindecim

formentur pil. gr. duorum. Summat omni hora pilulas sex.

Pilulas summit eousque, donec vermis secesserit.

In India Orientali contra taeniam adhibetur Cortex radicis punicae granati, ut refert Cel. HUFELAND. *) et 1830 Cel. HARTMANN in Clinico Vindobonensi pridie obitus sui adhibuit in foemina optimo effectu, postmodum supplens ejus in Clinico practico Cel. GÜNTNER in casibus duodecim subsequis optimo successu; mihi ipsi Neoplantae eodem remedio taeniam latam, et

*) Hufelandis Journal f. P. 5. 1822. M. Januar.

Eudae in prolibus duabus *Ascarides lumbricoides* expellere successit, quin nauseam, vertiginem, vomitum; vel dolores abdominis subsequos observaverim. — Praescribuntur Corticis rad. pun. granati unc. duae, coquendae in libr. duabus aquae, ad remanentiam libr. unius. — **Cel. HARTMANN** sic summere jussit: dividere quippe in doses tres, et has successive interpositio quadrantis horae interstitio absummere et quidem tempore matutino, stomacho jejuno, — quarto quadrante horae purgans ordinavit salinum, jubendo elligere tale, cui nulla virtus anthelmintica propria tributa. — **Vesperi** taenia una cum capite adfuit in casibus duodecim, in unico casu medicamen ter repeti debuit, et tunc secesserunt taenia solium cum taenia lata in nodum complicatae, taenia solium jam putrida, taenia lata nulla praeseferente putredine.

Contra *Ascarides lumbricoides* et *Ascarid. Vermiculares* conveniunt omnia hucdum recensita, optime purgantia. — Alii svadent *Opium* ad vermes stupefaciendos, alii aquam ad eos rigidos efficiendas. Maxime laudatur *Aqua cum hydrargyro vivo cocta*, *Hel-leborus niger*, *Putam. Nuc. jugl. viridia*, *allium*, *Jalappa*. — **Decoctum herbae Tabacae** pro enemate. — **Cel. DARWIN** laudat *Calomel* et *Vitriolum ferri* quae specifica. — Si sedes vermium in ventriculo, vel intestinis tenuibus, enema e lacte exhibetur, ore vero sumuntur talia, quae ut vermibus ingrata noscuntur, uti acria, acida, salsa alimenta, pisces harengi, carnes salsae perfumatae, pisces parvi integri comesti, *allium* etc. **RICHTER** curam sub plenilunio inchoandam svadet. —

Ad remedia externa numerantur: **Enemata** ex oleo cum saccharo, melle, **Decoctum allii** in aqua salsa, aceto, lacte salito; frustulum laridi ano impositum. **Cel. DARWIN** *Candelam sebaceam illitam ungv. neapolitano* ano immittere svadet. — **Vapores** ano immissi.

Enemata ex lacte cum hydrargyro cocto; Cel. RICHTER svadet Merc. gumos. Plenckii in decocto cum lacte. — Aqua calcis in vehiculo mucilaginoso; — Vapores tabacae; — Enemata ex Aloe, vel Geoffr. Surinamensi, sem. Sabadill. Ol. Ricini, Assa foet. Aqua gellida, et Oleo animali foetido.

Contra Trichocephalum Disparem nulla specifica nota; inhabitat intestinum coecum et crassa pacatus, raro turbas concitat, solo in cadavere saepe reperitur, insons toto vitae tempore hospes, apud animalia reliqua plures accumulati saepe reperiuntur, in homine solitarius occurrit.

Reliqui vermes prouti non satis cogniti vita durante, ita hucusque nulla contra eos remedia specifica nota.

B) Cura Radicalis.

Consistit haec in praecautione recidivae. Obtinetur curando abnormem statum intestinorum, et impediendo reproductionem vermium, emendando statum organismi cachecticum. Remotio enim vermium, ut dictum, solum est cura palliativa.

Remedia huic indicationi respondentia, abnormem vegetationem organismi, et praecipue intestinorum corrigentia, sunt roborantia, vitalitatem vegetativi systematis intendentia, mucii secretionem imminuentia. Talia sunt amara tonica, vegetabilia et mineralia, praecipue Extracta amara, et talia, quae acido carbonico agunt. E vegetabilibus: Quassia, Colombo, Centaurium, Gentiana, Trifolium, Rheum dosi refracta, Polygala etc. juncta aquis destillatis aromaticis. Cortex Peruvianus cum Valeriana praecipue laudatur. E mineralibus: ferrum praeprimis et ejus praeparata. —

Ferrum sulfuricum infantibus a gr. uno usque sex, adultis a scrup. semis usque integrum in pulvere

cum Cort. Peruviano, sem. Cinae; in pilulis cum extr. nucum jugland. in Electuario et Tinctura exhiberi solet. Cel. SELLE forma sequenti laudat.

Rp. Ferri sulfur.

Extrecti Chinae ana scrup. unum


Sem. Santon. drach. unam.

Syrupi Cinam. q. s. ut f. Electuarium.

D. S. Aliquoties de die summat cochl. unum.

Adhibentur quoque flores salis Amon. martiales; Usui ferri semper amara decocta junguntur. — Porro adhibentur Acida Mineralia, Elix. Accidum Halleri etc. Item Aquae minerales roborantes, acidulae.

Sicut in cura ipsa, ita adplicando haecce remedia semper requiritur usus eorum diu continuatus, quo saepe plus, quam variando remedia, licet optima, obtinetur. — Quae vero remedia in casu individuali maxime congrua, et quae methodus apprime conveniat aegro, optime dijudicabit medicus, eamque seliget ad curam feliciter perficiendam.



LITERATURA.

- A**ristotelis historia animalium Lib. V. Cap. 9. Allog-
brog. 1605.
- Baldinger's Magazin für Aerzte 1. B. 5. St. S. 385.
- Beddeus S.S, disser. d. verme taenia, Viena 1767.
- Bloch's M. E. Abhandl. von der Erzeugung der Eingew.
und der Mitteln wieder dieselben. Eine von der wiss-
ensch. Societ. zu Kopenhagen gekrönte Preisschrift,
mit 10 Kupfer-tafeln. Berlin 1782. —
- — Beytrag zur Naturgesch. der Würmer etc. in den
Beschäft. der Berlin. Gesellsch. naturf. Freunde, 1,
B. S. 534. —
- Bosch, van d., Hist. constit. verm. epid. Amstelod. 1769.
- Bremser, Dr, über lebende Würmer im lebenden Menschen ein
Buch für ausübende Aerzte. Mit nach der Natur ge-
zeich. Abbildung, auf 4. Tafeln nebst einen Anhang
über Pseudo-Helminthen. Wien 1819.
- Brera, V. L. Lezioni medico-pratiche sopra i principali
vermi etc, 1802. Deutsch von Weber, Leipzig. 1808.
- — Memorie fisico-Mediche sopra i principali ver-
mi etc, Crema 1811.
- Cuvier, G. Tableau élémentaire de l'histoire naturelle
des animaux, Paris 1798. — Deutsch von Wie-
deman, — 2 Bände, Berlin 1800.
- Dumeril, A. L. Analytische Zoologie aus d. fr, übersetzt,
von L. L. Froriep. Weimar 1806,
- Goldfusz über die Entwicklungsstufen des Thieres, Nüren-
berg, 1817.
- Heineken de morb. nervos. eorumque frequentia ex
abdom, origine. Goetting. 1783.
- Himly, S. Beobacht. u. Beschreib. des Finnenwurms bey
den Menschen. In Hufeland's. und Himly's Journ.
Dec. 1809.
- Hippocrätis Epidemiar. Libr. II Sec. I. Editio Foesii 1595.
- — de infant. et pueror. morbis Lib. VI, Cap. 10.

- — Magni coaccae prael. editae p. L. Duretum
Parisiis. 1588.
- Hufeland's Journal d. Praktisch. Heil. — 1828.
- Jaeger, I. H. Spicilegium de Pathol. anim. etc. Goet-
ling. 1775.
- Müller's, I. E. diss. exhibens causam monstrosi affectus
verminosi. Erfordiae 1702.
- Oken's Lehrbuch der Naturg. 3. Thl. Zoologie 1. Abth.
Leipzig 1815.
- Pallas, P. S. Elenchus Zoophytorum. Hage Comit. 1666.
- — Bemerkung über die Bandw. in Menschen und
Thieren. In den neuen nord. Beyträg. Petersb. und
Leipzig 1781.
- Reil's Archiv für Physiol. 2. Bd. Halle 1797.
- Rudolphi. C. A. Beobacht. über die Eingew. In Wiede-
manns Archiv für Zoologie und Zootomie Braun-
schwieg 1801.
- — Bemerkungen aus dem Gebiete der Naturgesch.
Medizin, und Thierarzneyk. auf einer Reise durch einen
Theil von Deutschl. Holland, und Frankreich Berlin
1804—5. — 2 Theil.
- — Entozoorum seu Verm. intest. Hist. natur.
Vol. II cum tab. Aen. Amstelod. 1808—9.
- — Erster Nachtrag zu meiner Naturgesch. der Ein-
gew. Im Magazin der Gesellsch. naturf. Freunde zu
Berlin 6. Bd. 1814.
- — Entozoorum synopsis, cui accedunt mantissa
duplex et indices locupletissimi cum tab. III Ae-
neis Berol. 1819. —
- Scherer. I. A. über den Ursprung der Eingew. — In den
med. Jahrb. des k. k. österr. Staates 3 Band 1815.
1816. — 4 Band 1817.
- Zeder J. G. H. Erster Nachtrag zur Naturgesch. d. Ein-
gew. von A. Eph. Goeze Leipzig 1800.
- — Anleitung zur Naturgesch. d. Eingew. mit 4.
Kupfertafeln. 1803. Bamberg.

T h e s e s .

- 1 **D**atur generatio aequivoca.
- 2 Non datur certum remedium vermifugum.
- 3 Cortex radiceis punicae Granati ex cognitis hucdum praestantissimum anthelminticum.
- 4 Anatome, causam morbi post mortem quaerens, saepe hallucinatur.
- 5 Systema Hahnemanni adversatur Medicinae scientiae.
- 6 Sangvis non solo cordis impulsu movetur.
- 7 Morte forma et rationes externae, non vero res ipsa deletur.
- 8 Lacti matris nullum aliud idonee substituitur.
- 9 Vires medicamenti ab ejus in corpus vivum effectu judicantur.
- 10 Foetum, tempore graviditatis quocunque, qui expullerit, homicidii reus erit.
- 11 Ballnea scopo medico, in salutem generis humani, coordinanda forent.
- 12 Cholera morbus, nullo universali hucdum sanatus remedio.
- 13 Studia obsunt sanitati.
- 14 Confidentia aegri, medicina principalis.
- 15 Vinum plus nocet, quam prodest.
- 16 Natura sanat, medicus curat; ideo multi sanantur, male curati.
- 17 Febris in solvendis et sanandis morbis chronicis plurimum saepe contribuit.
- 18 Nulla dantur certa signa graviditatis incipientis.
- 19 Vaccinationis dignitas hucusque famam tuetur illaesam.
- 20 Religionis Christianae praecipis non repugnant principia scientiae medicae.